

• et oneribus quibuscumque et annorum quinque pro debitis, que
• madmodum dictum est supra de hominibus Monticuli, manentibus
• personis eorum in comitatu Vincentie vel extra ipsum comitatum,
• ubi et sicut voluerint, sine offensis vel rebellionem dominorum de
• la Scala. Alii vero amici et sequaces dicti Jacobucii et aliorum
• predictorum tam cives quam districtuales Vincentie, a bannis,
• condemnationibus, processibus et sententiis quibuscumque latis
• contra eos ante tempus et a tempore hujus guerre citra, libere
• absolvantur et pro absolutis habeantur. Et omnes injurie et offen-
• siones remittantur eisdem ac etiam restituantur in bonis et pos-
• sessionibus suis et tractentur in ratione et justitia et contributio-
• nibus generalibus, sicut alii cives et districtuales civitatis et
• comitatus Vincentie. De quorum nominibus, si dubium fuerit,
• credatur expressioni et assertioni Jacobucii supradicti.

• Item quod reverendus in Christo pater dominus episcopus
• Vincentie libere et integre habeat, teneat et possideat omnia bona,
• jurisdictiones, possessiones, honores et loca sibi et suo episcopa-
• tui tam in temporalibus quam in spiritualibus pertinentia in civi-
• tate et diocesi Vincentina et fructus, redditus et proventus suos
• in quibuscumque consistent. Ita tamen quod hoc ad dominium
• civitatis Vincentie referri, intelligi, vel applicari non possit. Et
• quod propinqui et amici eiusdem domini Episcopi, tam laici quam
• clerici, et etiam homines de Brendullis, ab omnibus injuriis, et
• offensionibus, processibus, bannis, sententiis et condemnationibus,
• occasione presentis novitatis vel guerre illatis vel factis quoquo
• modo, sint liberi et absoluti, et pro liberis et absolutis totaliter
• habeantur. Et quod in bonis eorum plene et expedite restituan-
• tur, eisque gaudere possint pacifice et quiete. Ita etiam quod ipsi
• aut aliqui alii pro eis, aut pro dicto domino episcopo vel ejus
• occasione aut permissione vel fidejussione de consignando arcem
• de Brendullis aut aliter occasione ipsius arcis inquietari, molestari
• vel impediri non possint ullo modo vel ingenio, nunc vel in futu-
• rum a dictis dominis de la Scala seu a comuni Vincentie aut ab